

DE ADMINISTRA. SACRAMENT. Fo. XXVIII.

semel quum adibunt mensam dominicam, examinandi prius in præceptis domini, articulis fidei, oratione dominica, ac ecclesiæ sacramentis, maxime baptismi & eucharistiæ.

Intra annum saltem semel communicandum. Cap. XXI.

**E**T vt cohortandus est populus, quo sæpenumero communicet, quemadmodum olim singulis diebus dominicis fieri consuevit (quod quidē nūc quo minus fiat, per laicos stat, quibus nō debet cœlestis ille cibus inuitis aut nauseantibus obrudi) ita ad minimum populus ipse in disciplina ecclesiastica retinendus est, vt saltem toto anno semel ab omnibus qui ad discretionis annos peruenissent, confessis & contritis, Eucharistia summa cum reuerentiā suscipiatur. Olim qui non communicassent in anno saltem ter, in paschali videlicet, penthecoste, & natali dñi, inter fideles catholicos non connumerabatur, sed quum sensim omnis pene refrixerit charitas, in hoc quoque ecclesiastica disciplina cœpit esse remissior.

Ex Concil. gñali. c. oēs de pœnit. & remiss.

Ex cōci. Tol. & Liber. de cōf. dif. 2 ois homo.

Quorum admoneri populus hoc sacramentum participaturus maxime debeat. Cap. XXII.

**O**Mnium autem maxime instruendus est populus, vt recta fide accedat, sermoni domini firmiter credens, quo nos edocet Christus, dicens: Hoc est corpus meum quod pro vobis tradetur. Hoc facite in meam commemorationem. Quibus verbis & veritatem sui corporis astruit, & credentibus, dignisq; suscipientibus, remissionem peccatorum promittit, iubens vt hoc faciamus in suam commemorationem. Porro anima quæ fidem habet & eiusmodi Christi verbis credit, in memoriam Christi sacramentum edit, quum secum recogitat, quemadmodum vnigenitus filius dei, ob perditum hominem deo patri reconciliandum, & delendum, quod contra nos scriptum erat chirographum, de cœlo descenderit, semetipsum exinanierit ac humiliauerit, factus obediens patri vsque ad mortem, mortem autem crucis. In quo maxima erga nos dei charitas commendatur, qui vnico filio suo non pepercit, sed pro omnibus nobis a peccati & satanæ vinculis redimendis tradidit illum. Talem ergo fidem & affectum deo suggerente præparare debet in animo suo is, qui Eucharistiam percipit.

Aug. c. timo rem, de cōf. dif. 2 Math. 26.

Coloss. 2 Philip. 2 Ephe. 2 Iohan. 3

Docendus quoque, cur hoc sacramentum sub specie panis & vini institutum sit. Cap. XXIII.

**N**Eque interim negligēdum, sed perpetuo inculcandum erit, hoc sacramentum corporis & sanguinis dominici, sub specie panis & vini institutum esse, vt præter veritatem corporis & sanguinis (quæ in eo continetur & recipitur) quoddam etiam eximum signum mutæ dilectionis & charitatis excitandæ in nobis foret, quemadmodum diuus Paulus inquit: Quoniā

Aug. in sermo. de dedicatione eccl.

1. Corint. 10